9

IOANNIS BAPTISTÆ
DONII
PATRICII FLORENTINI
DISSERTATIO
DE VTRAQVE PÆNVLA.



BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EMANUE

PARISIIS,

Apud Sebastianvm Cramoisy, Architypographum Regium, et Gabrielem Cramoisy. via Iacobæa, ſub Ciconiis

CLARISSIMO
Doctiſſimoque viro
IOANNI FRANCISCO SLINGELANDO,
GABRIEL NAVDÆVS S. P. D.

HOMINIS *eruditiſſimi* Ioannis Baptiſtæ Donii *libellum prorſus elaboratum ad veteris elegantiæ normam, & antiquioris doctrinæ Romanæ ſplendorem, nulli potius offerendum eſſe duxi, quam viro rerum & ſtudiorum eiuſmodi callentiſſimo, qualem te vnum in paucis eſſe*, Ioannes Franciſce

Slingelande, *ineptus ſim profecto ſi neſciam. Nam toto illo tempore, quo tecum in Italia viuere, & vberrimum mihi ex gratiſsima, iucundiſsimaque neceſsitudine tua fructum percipere conceſſum fuit; quid a te factum attentatumque non vidi, vt in priſca florentis vrbis rudera, in conſulum & imperatorum numiſmata, in lapides characteribus inciſos vetuſtiſsimis, in ſtatuas & thoreumata, in omnem denique melioris æui cultum, & ſupellectilis eruditæ veſtigium penetrares. Fuitne Muſæum aliquod vindicandis ab interitu nobiliſsimis id genus reliquiis, ſiue* Meneſtrieri, & Angeloni, *in monte Pintio;*

ſiue Caſaliorum *in Auentino*; *aut in campo Martio penes* Godefridos; *vel* Pauli Gualdi, Guidiccioni; *& equitis nobiliſſimi* Caſſiani a Puteo, *aliorumque antiquitatis ſummo cum delectu ſtudioſorum, quod tu pari cum iudicio non ſedulus adire, rimari, & penitus excutere conſueueris? Sed priuſquam Roma diſcederes, nonne meipſo veluti nomenclatore, ne dicam parario, vſus es apud* Lucam Holſtenium, Leonem Allatium, Bartholomęum Tortolettum, Comitem, Tetium, Gaſparem de Simeonibus, Gregorium Portium, Philippum Cammolum, Ferdinandum Vghuellum, Ioannem Lottum,

Federicum Vbaldinum, Ioannem Nicium, Pollinum, Moronum, Tronſarellum, Martinellum, & ipſummet Ioannem Baptiſtam Donium, *ſummos omnes & lectiſſimæ, caſtigatiſſimæque doctrinæ viros, quibus inſalutatis, minime tibi de Flandria tua repetenda cogitandum eſſe putaſti. In itinere vero quid prius aut antiquius habuiſti, quàm ſalutare & amplecti peramanter, Florentiæ quidem* Iacobum Gaddium, Balthaſarem Nardium; *Piſis*, Paganinum Gaudentium; *Cæſenæ*, Scipionem Claromontium; *Bononiæ*, Fortunium Licetum, Taurellum, Cauallerium, Bendendum, Argolum;

Venetiis, Æmilium Pariſanum, Lauredanum; *Pataùii, meritiſsimum Æmoniæ ciuitatis antiſtitem*, Iacobum Philippum Thomaſinum, Veſlingium, Cottunium, Rhodium, Ferrarium, Belriguardum, Dauanzium; *Vicetiæ*, Ioannem Baptiſtam Imperialem; *Veronæ*, Franciſcum Ponam; *Genuæ*, Hieronymũ Bardum; *Aquis Sextiis*, Peyreſcium; *Pariſiis, denique* Puteanos, Moræum, Gaſſendum, *quos omnes partim ex me, qui ſuauiſsimas tecum de illis confabulationes habere ſolebam; partim etiam ex eorum libris, & publica famæ conteſtatione, literarum ſtudiis percelebres eſſe, dudum acceperas. Ne-*

que vero in patriam tuam reuerſus, non pro illo more & inſtituto tuo feciſti, qui cum Geuartiis, Vvendelinis, Beuerouiciis, Salmaſiis, Heinſiis, Puteanis, Voſſiis, Barlæis, *& quibus non aliis in Belgio, ſermonibus literariis mutuæ beneuolentiæ coniunctionem inire, eamque datis viciſſim & acceptis frequentibus literis, diligenter colere ſtuduiſti. Quamobrem ſi deſiderio tam incredibili rerum academicarum, quod in te magis, quàm in alio quouis homine conſpicuum fuit, tantum otii liberalis adiunctum fuiſſet, quantum excolendis illis, promouendiſque neceſſarium erat, non Hercle dubito, quin multos ex*

proceribus academicis, quos ſcriptorum ſuorum copia maxime conſpicuos reddit, longo poſt te interuallo reliquiſſes. Verum licet negotiis, occupationibuſque grauiſſimis ab incepto ſumma cum alacritate ſcribendi, docendique ſtudio præpeditus fueris, non deſinis tamen magnifice cum illis agere, quorum mentem ab egregiis iſtis & laudabilibus inſtitutis, non alienam eſſe cognoſcis; eorumque conatus ita ſuſpicis, tam effuſe laudas, ſic effers, & pro virili tua iuuas, vt omnium in te oculi conuertantur; nec alius ſit hoc tempore, qui regium intra fortunæ priuatæ limites animum geſtare, præter te vnum videri poſſit. Hoc igitur

nomine, gratulor tibi ex animo, Slingelande cultiſſime, *& quoties mihi licebit, eximiæ tuæ in me liberalitatis exemplum, iucundiſſimi conuictus memoriam, noſtrarum in Italia peregrinationum recordationem, tot aliis titulis accenſere, quibus me tibi deuinctum eſſe profiteor, iſtud certe tam libenter faciam, quàm quod lubentiſſime. Interim vero ſermonem hunc de pænula, gratiſſimum tibi fore, multis adducor vt credam, nam memini ſimilem alium P. Nigroni de Caliga, maxima cum voluptate perlectum a te Romæ fuiſſe; eamque ſemper animo tuo inſediſſe opinionem; quod præcipua, veræ ſolidioriſque doctrinæ*

momenta, ſæpius in exiguis, ſed accuratis illis, & expolitis arido pumice libellis, quàm in voluminibus, vel ipſa mole deſpiciendis, continerentur. Et ſane tantum abeſt, vt ea in re tecum non ſentiam, quod exemplo Gronouii, *&* Octauiani Ferrarii, *quorum hic de ſeſtertio, ille vero de tota re veſtiaria paucis in paginis cumulatiſsime ſcripſit, quantum ab ingenio extra materiæ ſuæ ſepta non diuagante, bonæ frugis, & caſtigatæ eruditionis expectandum ſit, liquido conſtat. Enimuero cum offendi te non poſſe iſtius orationis tenuitate, vel hac præſertim de cauſa plane confidam, tum vero ſatis mihi in antiquiſsima &*

arctiſſima neceſſitudine noſtra præſidii fore exiſtimo, vt officii erga te mei rationem habere dum oblata qualibet occaſione contendo, iſtud quoque moleſtum tibi aut ingratum eſſe non poſſit, homini præſertim omnium quos in vita nouerim humaniſſimo, prudentiſſimo; & , quod ego palmarium hoc tempore duxerim, moderationis, iuſtitiæ, probitatis, atque, vt verbo dicam, virtutum & literatorum omnium amantiſſimo. VALE. *Pariſiis* VII. *Idus Maii* M. DCXLIV.

IO. BAPTISTÆ DONII DISSERTATIO DE VTRAQVE PÆNVLA,

Romæ habita in Academia Baſiliana, Idibus Septembris anno 1638.

ANTEQVAM de habitu, quo ſacerdotes noſtri in re diuina facienda vtũtur, ſummatim diſſerere incipio, deprecor a vobis, *eminentiſsimi patres, doctiſsimique academici*, ne me vel confidentiorem, vel ordinis veſtri, atque huius loci parum reuerentem exiſtimetis; quod immaturam ad-

huc ac tumultuariam ſcriptionem, hodie vobis obtrudam; minime alioqui nouitius tiro; ſed qui emeritæ militiæ potius (ſi per vos liceat) aſcribi cupiat. Non prætexam qualicumque huic facto (quamquam veriſſime id facere poſſum) deſuetudinem ſtudiorum, non occupationes multiplices ac varias, non grauiſſimas animi curas; ſed ſimpliciter quod res eſt, atque ingenue fatebor. Cum dies academicus inſtaret, ac nemini quantum ſcire potui indictæ eſſent diſſerendi vices: ne nonnulla mea culpa vacuus hic dies abiret, ſuccedaneam operam huic muneri impendere

aggreſſus ſum: eo ſane fidentius, quo veſtra mihi humanitas perſpectior erat: quoque magis ex aulicæ vitæ vſu intellexi, viris principibus, ac ſapientibus, non tam ſeram moroſamque diligentiam, quam promptitudinem obſequii in rebus gerendis plerumque placere. Quod potui operam dedi, vt argumentum ſeligerem, inſtituto huius loci maxime, ni fallor, conſentaneum. Cum enim in hoc ornatiſſimo cœtu, ſacræ eruditionis ſtudia præcipue pertractentur, profana vero, quatenus dignioribus illis inſeruiunt, ita ſane congruenter de eo habitus genere ediſſeram, quod profanis vſi-

bus ab initio deſtinatum, rei diuinæ peragendæ tandem ceſſit. Deinde ſicut Græcanicæ eccleſiæ inſtituta, illuſtrari hic maxime ſolent: non tamen ſine comparatione Latinorum; vt vna eademque Chriſti ſponſa, quamquam ſubſtantia & corpore indiuiſa, attamen diuerſitate rituum quaſi veſtimentorum ornatu multifariam conſpicienda, &, vt diuinæ literæ loquuntur, *circumamicta varietatibus*, contemplantium oculis cultiorem ſe exhibeat, ita certe non incongrue de pænula differetur, quæ vt & vocabulum ipſum primum a Græcis inuenta; deinde ad Romanos tra-

traducta; poſtremo hic atque illic in vſum ſacrorum venerabilis manſit; & quamuis vtrobique non eamdem prorſus ſpeciem retinuerit, nihilo minus vna eademque, cùm origine, tum vſu cenſeri debet. Quam quidem tractationem eo lubentius ſuſcepi, quo clarius ac teſtatius priſci huius veſtimenti ſpeciem indicare atque oſtendere vobis poſſe videor. Nam cùm ſuperioribus annis quædam obiter annotarem in eam partem Pandectarum mearum, quæ ad rem veſtiariam pertinet, deſtinaremque, ſi per otium & fortunæ meæ tenuitatem licuiſſet, ex veteribus ſtatuis, aliiſque

monumentis, farraginem aliquam iconiſmorum ſeu picturarum colligere, quæ comparatæ cum teſtimoniis veterum ſcriptorum multifariam conquiſitis, inſignem huic negotio lucem afferre poſſe videbantur; euenit vt in ſtatuam quamdam inciderem, quam procul dubio pænulatam eſſe primo aſpectu cognoui; quales hodie haud ſane multæ reperiuntur: quam cum diligentius contemplarer, omnia ei plane congruere deprehendi, quæ de iſtiuſmodi habitus genere veteres prodiderunt: ac tum demum intellexi, cur iſtud nomen ſortitus ſit ſacrificalis cùm Græcorum, tum

Latinorum habitus; qui iam inde a primis eccleſiæ temporibus vſurpari cœpit. Imago eſt, quantum coniectura mea fert, oratoris cuiuſdam: quod protenſa paululum æqualiter brachia ſuboſtendunt. Habitus vero eiuſmodi eſt, vt plane totum hominem, excepto capite atque infimis cruribus, circumdet. Nulla vero in eo lacinia, nulli ſinus, atque vmbones, vt in toga; ſed plane ſimplex, atque vnico circumiectu hominem ambiens. Media vero ſui parte dumtaxat patere cognoſcitur, qua caput exſerebatur, alioqui rotunda & clauſa; & qualem togam fuiſſe veterum nonnulli exiſti-

mant: ſed quantum ex ſtatuis cognoſci poteſt, parum certe ἀστόχως. Etſi vero minus ſinuoſa, minorique amplitudine panni quam toga fuit; non tamen ei deerat ſuus decor & grauitas; quam plicæ ſeu rugæ veſtimẽtis potiſſimum inſinuant. Verumtamen quantum maieſtate a toga ſuperabatur, tantum illam commoditate vincebat; adeo vt, ſi opus eſſet, nullo negotio ab artifice quopiam veſtiario, ope illius ſtatuæ reſtitui poſſet: quod in tanta ſtatuarum togatarum copia vix ei fortaſſe ſuccederet, in vera togæ ſpecie reſtituenda, quantumuis perito atque ingenioſo. De origine vocabuli con-
Digitized by Google

uenit inter Grammaticos φαινόλην, ſiue φαινόλαν Dorica terminatione vocitatam fuiſſe: quod tota conſpiciatur. ὅτι ὅλη φαίνεται, non quod corporis figuram oſtenderet (nihil enim minus huic veſtimento conuenit) & quod ὅλον τὸ σῶμα φαίνει, vt falſo credidit Caſaubonus, & ex eo Bullengerus, qui aſtrictam fuiſſe veſtem putarunt; & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimeret; decepti opinor ex praua illius veriloquii ſeu etymologiæ acceptione; cui actiuum ſignificatum, non paſſiuum, vt opus erat, tribuebant: tum etiam ex eo quod Artemidorus Onirocriticus inter veſtes quæ

θλίψιν ac στενοχωρίαν, in ſomniis ſignificabant, hoc eſt *anguſtias ac preſſuras* pænulam quoque (τὸν φαινόλην) recenſet; διὰ τὸ (inquit) ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα, *quod vndique corpus ambiat*: non quod membra preſſim conſtringat, vt illi opinati ſunt. Hinc apertior eſt Ciceronis locus oratione pro Milone, qui vt probaret nequaquam inſidiandi animo, occidendique Clodium, ab vrbe, eum profectum fuiſſe. *Quid minus* (inquit) *promptum ad pugnam? cùm pænula irretitus, rheda impeditus, vxore pene conſtrictus eſſet?* quod cùm dixit, in animo opinor habuit, Retiariorum ſinuatum illud rete, quo

aduerſarios ſuos ſecutores(Gladiatorum ea genera fuerunt) repente conſtrictos fuſcina demum conuulnerabant. Huius veſtis primi inuentores Lacedæmonii produntur, vel Tertulliani grauiſſimi ſcriptoris teſtimonio: qui in Apologetico ſic ſcribit: *Nam ne vel hieme voluptas impudica ceſſaret, primi Lacedæmonii pænulam ludis excogitarunt*. Verùm apud Romanos, vt opinor, vſitatior fuit, qui aſpirata litera in ſuam tenuem detorta (qua forma Pœnos à Phœnicibus demutarunt) pro φαινόλας, *pænulam* vel *pænolam* vocitarunt. Erat autem habitus hibernus ac viatorius; & ad propulſandos im-

bres, ceteraſque aſperioris cæli iniurias peridoneus : ideoque in ſpectaculis potiſſimum (hiberno videlicet tempore) vſurpabatur. Hinc M. Tullius Mulionicam pænulam commemorat. Idem libro 13. ad Atticum: *Sed ego ita egi vt non ſcinderem pænulam*. Iuuen. Sat. V.

> *--fremeret ſæua cum grandine vernus*
> *Iupiter, & multo ſtillaret pænula nimbo.*

Seneca vero ſcorteæ pænulæ meminit; de qua accipiendus Martialis:

> *Ingrediare viam cælo licet vſque ſereno,*
> *Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.*

Fiebant autem pænulę ex craſſiori lana, non ex tenuiori prolixiorique, vt togæ. Hinc Plinius, *Appulæ lanæ* (inquit) *breues villo; nec niſi pænulis vtiles: circa Tarentum Canuſiumque ſummã nobilitatem habent.* Nihilo minus quædam pænulæ prolixis villis fiebant. Quæ *Gauſapinæ* proprie dicebantur: de quibus Martialis:

Is mihi candor ineſt villorum
gratia tanta,
Vt me vel media ſumere meſſe
velis.

Ad ſummam veſtis fuit ponderoſior; quæque commoditate magis quàm elegantia commendaretur: quamobrem Tertullianus libro de corona mi-

litis, *Ibidem* (inquit) *grauiſſimas pænulas poſuit, reuelari auſpicatus.* Quod ad vſum pertinet, Vlpianus in cap. ſiue lege (vt dicunt) 23. Digeſtor. tit. de auro, argento mundo, legatis, inter communia veſtimenta, quibus promiſcue vir & mulier ſine reprehenſione vti poterant, pænulas ſiue pænularum quaſdam ſpecies connumerat. *Communia ſunt* (inquit) *quibus promiſcue vtitur mulier cum viro: veluti, pænula palliumve eſt; & reliqua huiuſmodi; quibus ſine reprehenſione vel vir vel vxor vtatur.* Quamuis autem ſtante republica, ac ſub primis Cæſaribus, forenſis habitus pænula non

fuerit; poſtea tamen res mutauit, ſub Domitiano enim iam pœnula inualuerat, toga paulatim obſoleſcente: quod ſane grauioribus viris, & nouitatum oſoribus, diſplicuiſſe cognoſcimus. Quintilianus ſiue quis alius autor eſt erudítiſſimi dialogi: De cauſis corruptæ eloquentiæ, *Quantum humilitatis* (inquit) *putamus eloquentia attuliſſe pænulas iſtas; quibus aſtricti, & velut incluſi, cum iudicibus fabulamur?* Ideoque Caſtritius rhetor magni nominis, qui Hadriano imperante floruit, quoſdam diſcipulos ſenatorii ordinis, teſte Aulo Gellio, acriter reprehendit, quod lacernati non pæ-

nulati,prodirent in publicum: *Equidem maluiſſem* (inquit) *vos togatos eſſe. Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe & pænulatos* : quoniam videlicet, quanto pænula quàm lacerna dignior erat, tantum togæ dignatione cedebat. Quod autem doctiſſimus vir hinc colligit, pænulas præcipue ſeruiles cingi conſueuiſſe, minime aſſentiri ei poſſum: nihil enim impeditius foret, aut brachiorum vſibus, quibus ſeruorum miniſteria potiſſimum conſtant minus aptum. Crediderim potius Caſtritium non modo laſciuiam vſurpantium lacernam pro pænula vel toga reprehendiſſe; ſed etiam molli-

tiem tunicam diſcinctam ſub lacerna geſtantiũ. Nam quod ex Petronio affert in ſuam ſententiam. *Vltimo cinædus ſuperuenit myrtea ſubornatus gauſapina, cinguloque ſuccinctus.* Nihil vetat tunicam quoque mollibus ac prolixis villis confectam gauſapinam vocatam fuiſſe, non minus quàm pænulam, quamuis Gauſapina tunica alibi non memoretur. Ceterum quod ſupra oſtendimus, iam inde à Flauianis temporibus cœpiſſe pænulas in promiſcuo vſu eſſe, labefactari videtur duobus auctorum veterum locis, qui inferioribus etiam ſæculis togæ ſuum honorem, atque vſum manſiſſe

teſtantur. Alter eſt Lampridius, qui de imperatore Commodo ſic ſcribit: *Et contra conſuetudinem pænulatos iuſsit ſpectatores; non togatos ad munus conuenire: quod funeribus ſolebat.* Vbi Caſaubonus pro *ſpectatores* legit *ſenatores*, coniectura ex Dione ſumpta. Alter locus eſt Spartiani in Alexandro Seuero qui ait *pænulis intra Vrbem frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit; cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium fuiſſet, aut pluuiæ.* Quo loci Spartianum Lipſius reprehendit, ſi modo ita ſcripſerat, ſuſpicatur enim ibi quoque legendum *ſenatores.* Quod ſi recipimus, eſt cur

gratiam pænulæ ſenatores habeant, cuius beneficio excuriati quodammodo prius librariorum incuria, per duos iſtos rei literariæ antiſtites, tamquam cenſoria virgula in ordinem priſtinum reſtituuntur. Quod autem ſtante imperio præcipua ſemper in veneratione toga fuerit, idem Spartianus in Hadriano teſtatur, dum pænulas nunquam geſtaſſe imperatores prodit: *Nam illi* (inquit) *adhuc priuato, cum tribunus eſſet, factum omen imperii, & perpetuæ tribunitiæ poteſtatis, ex eo quod pænulas amiſiſſet, quas tribuni plebis pluuiæ tempore geſtabant; imperatores vero nun-*

quam. Illud etiam ὁδοῦ πάρεργον notauerim, ſicut albus color olim in toga & tunica, ſaltem apud lautiores ſolennis erat, ita pullus vel niger in pænula. Quo pertinet Sarcaſmus ille Auguſti Cæſaris populo Romano ſuccenſentis: qui (vt Suetonius refert) *viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En*, ait Romanos, *rerum dominos gentemque togatam*. Et certe colores ii natiui, ſicut ad luxum ac lautitiam minus apti, ita ad pluuiam & lutum arcendum opportuniores. Erat igitur pænula proprie habitus viatorius, quam idcirco Galba orator

tor apud Quintilianum per iocum ſe dixit domi geſtare. Nam cum eius cænaculum (id eſt altior domus pars iuxta tectum, quam Galli granarium vocant) perplueret; amico pænulam petenti. *Non poſſum* (inquit) *commodare: domi maneo.* Illud etiam per occaſionem huius vocabuli circa Gallorum veterem veſtitum obſeruaſſe videor; pænulam apud eos fuiſſe frequentem: coniecturam huius rei duco, ex multis veterum cipporum iconiſmis, quamuis minus belle delineatis, atque excuſis, quos initio ſuæ hiſtoriæ Metenſis eccleſiæ, Meuriſſius epiſcopus Madaurenſis

appoſuit. Multæ enim in iis figuræ conſpiciuntur pænula indutæ: quarum nonnullæ etiam capitium adiunctum habent; cuius mentionem fieri video apud Plinium, vbi pænularum capita (pro capitiis accipio) centunculo (herbæ id genus eſt) comparat: qua nota haud difficulter eorum formam agnoſcere poſſumus: ſi quidem naturæ partus cum ſemper ſui ſimiles ſint, certo ſatis iudicio demonſtrare poſſunt inuenta hominum, quæ magnam tractu temporis ſuſcipere ſolent varietatem. Ceterum quod grammatici nonnulli, & gloſſæ quædam veteres tradunt

pænulæ fimbrias (hoc eſt villoſa quædam ornamenta in oræ ambitu) adfuiſſe, quoniam perpetuum non fuiſſe videtur (certe ea quam dixi ſtatua non habet) obiter tantum dictum eſto. Verùm vt ad ſacram ſpeciem tandem deueniam (cuius gratia inſtitutus eſt hic ſermo) quo tempore in Miſſæ ſacrificio adhiberi apud noſtros pænula cœperit, in tanta rerum vetuſtarum caligine haud procliue dictu eſt. Illud conſtat eius vſum antiquiſſimum eſſe, & a primis prope naſcentis eccleſiæ temporibus inceptum. Cur autem hoc potiſſimum veſtimenti genere in ſacroſan-

ctis myſteriis vſi ſint veteres illi Chriſtiani; quamquam arduum eſt aſſequi, quædam tamen πιθανὰς ſaltem afferri poſſe videntur. Primum enim ſuſpicari licet, pænulam iis maxime placuiſſe, vt quam longiſſime à gentium ritibus abeſſent: quæ ſuperſtitioſis ſuis ceremoniis nunquam eam adhibuiſſe videntur. Secundo, quod cùm inter frequentes tyrannorum perſecutiones propria & peculiaria rei diuinæ veſtium genera excogitari non facile potuerint, eam præ ceteris eligere voluerint, quæ tunc temporis inter ciuiles quidem, ſed ordinarios habitus (vt excludam imperato-

rios, & magiſtratuum) & honeſtior & vſitatior eſſet. Par enim fuit in re omnium grauiſſima & ſanctiſſima, non vulgari plebeioque amictu, ſed honeſto ac decoro vti: quod cùm in priuata ſaltem oratione minus neceſſarium ſit, minime reprehenſi à Tertulliano forent, qui priuſquam orarent pænulam deponebant, ſi non tamquam ſuperfluum pondus eam exuiſſent, ſed (quod is potius iudicabat) vt gentiles imitarentur. Tertio ſuſpicari poſſumus habitum viatorium prælatum fuiſſe cæteris; vt oſtenderent ſacroſanctum hoc ſacrificium a viatoribus fieri, &

cæleſtis patriæ extorribus: ad quam illius maxime viatici ope corroborati, peruenire tandem ſperamus. Quamobrem poetica quadam & philologica licentia vir ætatis noſtræ doctiſſimus, ſacrificium propteruiam indigitare illud auſus eſt. Fiebat autem à priſcis Romanis ſacrificium; quod *propter viam*, ſeu *propteruiam* vnica voce dicebant. Herculi (vt opinor) Viali. *Propter viam* (inquit Feſtus Pompeius) fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia. Herculi aut Sanco: qui ſcilicet idem eſt Deus: in quo quidquid profanabatur, conſumi neceſſe erat. Sed ne diu-

tius ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν, vt Græci aiunt, exſpatier, ſicut ſingula veſtimenta quæ rei diuinæ adhibentur, ſignificare creduntur vnum ex iis quæ Ieſus Chriſtus Dominus noſter in paſſionis ſuæ actu geſtauit, (quamquam eiuſmodi myſteria poſterius fere excogitati ſoleant, quàm ea quæ iis denotantur inuenta fuerint) ita ſciendum eſt, ſacram pænulam, indicare nobis veſtimentum illud purpureum, quo Chriſtum Dominum ludibrii gratia, impii milites cùm corona ſpinea inſigniuerant. Germanus patriarcha in libro Theoriæ eccleſiæ: Τὸ δὲ (inquit) φελόνιον ἐμφαίνει τὴν ἀπὸ κοκ-

κίνου πορφυρᾶν ὥσπερ τῷ Ἰησοῦ οἱ ἀσεβεῖς ἐμπαίζοντες ἐφόρησαν. *Pænula autem oſtendit veſtem purpuream ſeu coccineam, quam impii homines illudentes Ieſu obtulerunt.* Quæ ſimilitudo non perinde ad formam pertinet; longe enim diuerſa fuit a pænula chlamis (qua proprie, vt D. Matthæus tradidit, Chriſtum Dominum induerunt) quàm ad colorem: purpura ſiquidem, ſeu quouis alio rubro colore ſacra pænula plerumque olim tingi conſueuiſſe videtur. In eccleſia certe Conſtantinopolitana toto ieiunio quadrageſimæ, exceptis his diebus, Nuntiationis, Palmarum, & magni Sabbati, preſbyteros &

diaconos purpureas, ſiue rubras pænulas, & tunicas (στιχάρια Græci vocant) geſtare conſueuiſſe Codinus ſcribit. Porro celebris valde quæſtio illa eſt, qualis pænula accipienda ſit, cuius D. Paulus epiſtola 2. ad Timotheum meminit his verbis: Τὸν φαιλόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε. καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. *Pænulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* D. Ambroſius & ex eo Haimo & Anſelmus accipiunt pro veſte ſenatoria, quam Paulo pater reliquerit. Et ſane proditum eſt D. Pauli patrem, qui Giſcali Palæſtinæ

opido oriundus Tarſum migrauerat, ciuitatem Romanam adeptum fuiſſe: ſed vt ſenatorii ordinis fuerit nuſquam legitur; ne dum vt conſularis: quod Haimo inſcitia ſuorum temporum ductus, dicere non dubitauit: itemque Conſules induere pænulam ſolitos, dum curiam ingrederentur. Alii quibus fauere creditur Tertullianus loco ſupra laudato, qui eſt libri *de oratione*, exiſtimant veſtem ſacram fuiſſe. Verùm ſi pro veſtis ſacræ ſpecie accipiant, quæ in ſacris vſurparetur; ſed etiam profanis vſibus inſeruiret, facile credi poteſt, apoſtolos, pænulam in Miſſarum ſolenniis vſurpaſſe;

quod ſi intelligunt veſtimenti genus rei diuinæ proprium, & ab aliis diuerſum, primùm haud credibile eſt, in iis anguſtiis ac preſſuris vacaſſe primis Chriſtianis, peculiarem habitum ad rem diuinam excogitare: deinde cum antiquior ſacerdotum pænula, ad amuſſim fere congruat, cum ea quam gentilium ætate in foro vſurpabant, iam clarum manet ſacram veſtem eo modo accipi non poſſe. Quod autem Tertullianum in teſtimonium aduocant, ipſo ſane id faciunt inuito; is enim locus oſtendit veſtem potius fuiſſe profanam: ſiquidem eam oraturi, vel precaturi Deum, de-

ponere ſolebant. Tertio putarunt nonnulli, in quibus eminentiſſimus Baronius, pænulam accipiendam eſſe pro legis volumine; eo quod Syrus interpres verterit *Bet Ketabe*, id eſt thecam librorum; cui Heſychius aſtipulari videt: qui φαιλόνης interpretatur, εἰλητάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον. Verùm hæc ſententia, vt parum probabilis, ab omnibus fere reiicitur. Quarto demum Ioannes Chryſoſtomus, Theophylactus, Hieronymus Dial. 3. contra Pelagianos, intellexerunt vulgarem & communem eam pænulam, quam aduerſus pluuiam & frigus olim geſtabant. Quæ ſententia pro-

cul dubio reliquis præferenda eſt : eoque ſane probabilior videtur, quo magis apparet, Paulum, pænulam reliquiſſe tamquam onus per id anni tempus ſuperuacaneum; quod confirmatur ex eo quod ſub finem epiſtolæ ſcribit : *Feſtina ante hiemem venire.* Quod pertinet autem ad vocabulum, ſciendum eſt ſacrum hoc indumentum, a vetuſtioribus Græcis (de Chriſtianis loquor) φαιλόνιον ſeu φελόνιον dici, à poſterioribus, φελόνιν, corruptius; quam vocem, & ſi liquido apparet per tranſpoſitionem literarum φαιλόνιον pro φαινόλιον ortam eſſe, doctiſſimus Salmaſius tamen contra aliorum opi-

nionem cenſet ab antiquiore voce φελλόνης, quæ Cretenſibus teſte Heſychio tunicam ſignificabat deduci. Quidquid ſit, miror ſane in pleriſque noui teſtamenti Græcis editionibus, corruptum vocabulum φαιλόνιον pro φαινόλιον legi; cùm minime credibile ſit, iam tum diui Pauli ætate, ſinceram eius pronuntiationem deſiiſſe. Ceterum apud ſcriptores eccleſiaſticos eccleſiæ Latinæ (omnes videlicet ſemiantiquos) minus vſurpatum pænulæ vocabulum comperio; ſed partim caſulam, partim planetam vocitari. Prius apud Hiſpanos manſit, quibus *caſulla* eſt, imo apud Gallos, qui *chaſuble* cor-

ruptius vocant: poſterius apud noſtrates. Caſulam porro Rabanus Maurus dictam vult, quod ſicut caſa quædam, alia omnia tegit, ac complectitur. Planetam dici volunt, quod circum errans, totum corpus ambiat quaſi παρὰ τὸ πλανᾶσθαι. Sed cùm apud Latinos natum ſit hoc vocabulum, eoque tempore, quo Græcæ linguæ non erat adeo frequens vſus, crediderim potius eius radices in Latio quærendas: quoniam ſic appellata fuerit, quod plana eſſet: hoc eſt nullis vel paucis plicis corrugata, ad diſcrimen fortaſſe pænulæ veteris, quæ rugoſior fuit. Ceterum proauorum ætate, eiuſ-

dem fere formæ apud noſtrates fuit ſacrum hoc veſtimentum, quàm apud Græcos hodieque conſpicimus: rotundum videlicet, æquatoque in ambitum gyro; non autem in duas ſemirotundas plagas, anteriorem ac poſteriorem diuiſum; quam in ſpeciem paulatim degenerauit; dum ſacrificaturi, onus illud brachiorum pertæſi, & commoditati magis quàm decori ſtudentes, ſenſim ab vtroque latere eam reſecant, donec cubito tenus pertingeret. Olim verò neceſſe fuit circa medium cubitum, ne brachia impedirentur; vel vt caſus tulerat corrugari; vel certe ordine quodam plurifa-

riam

riam replicari. Et quidem vt auctor ſemiantiquus oſtendit in opere, quod *Gemma animæ* inſcribitur; in vtroque brachio triplicabatur: quod cùm ſit, interior facies tegitur, exterior apparet: circa pectus & inter humeros duplicabatur; ita vt interior facies circa collum detegeretur. Quæ notitia ſatis liquido oſtendit qua ratione hic habitus ſacrificanti aptaretur, quamdiu primæuam ſpeciem retinuit. Alia etiam differentia eſt inter vtramque pænulam Græcam videlicet & Latinam, quod in illa ab antiqua conſuetudine, complures crebræque cruces depingi con-

ſueuerint: in noſtra vero vnica tantum , eaque ampliori forma, ex latiori faſcia à ſummo ad imum pertingens: quam alia tranſuerſim ſecat. Hanc Itali anteriori plagæ aſſuunt, Galli vero poſteriori: nec deeſt vtrique conſuetudini ſua ratio & probabilis cauſa. Porro Conſtantinus Cabaſilas in quæſtionibus eccleſiaſticis docet eiuſmodi crucium picturam ἐν τῷ φελονίῳ ſolennem & ordinariam eſſe, ſicut in ſtichario fluminum: quibus fortaſſe denotari voluerunt eos fluuios qui e terreſtri paradiſo effluebant. Eiuſmodi pænulas crucibus inſignes Balſamo de priuilegiis patriarcharum

τὰ διὰ πολυσταυρείων φαιλόνια appellat. Animaduerſione etiam digna eſt ea pænulæ ſpecies, quæ capitium adiectum habet, in tabula 3. cemeterii Pontiani apud Boſium in Roma ſubterranea, vbi B. Vincentii imago eam geſtantis conſpicitur. Poſtremo hoc addam, ſicut pænulam primario ſignificaſſe oſtendi, veſtimenti genus profanum, ita certe caſulæ & planetæ vocabulum, ſecundario denotaſſe videri, habitum non ſacrum, ſed profanum: quod antiquæ pænulæ (niſi idem plane erant) ſimilis foret. Colligo id ex Concilio Ratiſbonenſi, quod ſub Carlomanno coactum fuit; in

quo ſtatutum eſt, vt presbyteri vel diaconi, non ſagis laicorum more, ſed caſulis vterentur, ritu ſeruorum Dei. Item ex vita Gregorii Magni apud Ioannem Diaconum, vbi ſcriptum eſt D. Gregorii patrem indumentum hoc geſtaſſe, planetam caſtanei coloris; & ſub ea dalmaticam: neque enim, quod ſciam, vſquam proditum legitur, Gordianum (ſic enim appellabatur) vllo tempore ſacræ militiæ fuiſſe adſcriptum. Atque hæc ſunt quæ in præſentia circa pænulam vtramque ſacram & profanam, circumciſis pluribus, annotanda cenſui: reliquis in commodiorem locum ſe-

poſitis. Metui enim profectò, ne plurifariam tædio vos afficerem, dum hibernam hanc veſtem, per æſtiuos hoſce calores, non tam auribus quàm humeris veſtris diutius ingererem; præſertim tam craſſo villo contextam, niſi eam, quantum fieri licuit, circumciderem; imitatus eos quorum brachiis antiqua illa ponderoſior viſa eſt.

FINIS.

Digitized by Google